



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

412. Quænam præterea in specie sint causæ, ob quas à Choro absentes lucrentur etiam distributiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

Quaestio 412. Quanam praeterea in specie sint causae, ob quas à choro absentes lucrentur etiam distributiones?

1. **R**espondeo: potissimas esse sequentes. Primò, corporis necessitas, v. g. si Canonicus senio confectus sit, etsi senium propriè non sit infirmitas, Pirh. n. 87. citans Azor. ubi supra q. 12. vel si sit valetudinarius, aut medicinam sumpsit, vel sanitatis causâ ivit ad balnea, vel recedens ob metum pestis ibi grassantis, vel quia habet ibi inimicum, à quo sibi malum grave timet inferendum. Pirh. *ibid.*

2. Secundò, quodcumque grave damnum vitæ, honoris, vel fortunarum. Pirh. *ibid.* ex Castrop. d. 3. p. 9. §. 2. n. 1.

3. Tertiò, injusta incarceration, aliâq; similia, quæ casu aliquo extrinseco circa personam contingunt, accessumque ad Ecclesiam impediunt. Lott. *cit. q. 27. n. 142.* Idem est de injustè expulso in exilium. Secus tamen est, dum quis condemnationi suæ ad carcerem vel exilium, causam dedit per delictum; is enim jam censetur abesse ob propriam malitiam. Pirh. *loc. cit.* citans Covar. *variar. resol. l. 3. c. 13.* & Azor. q. 11.

4. Quartò, si quis impeditus fuisset à Capitulo, aut etiam expulsus, quò minus cum aliis choro interesset. Lott. n. 143. citans Mohedam *decis. 6. de præbend.* in quo casu necessaria non esset protestatio. Lott. *ibid.* ex Coccino. Tenentque hæc, nisi ipsemet expulsus ante expulsionem omisisset aliquid, quod facere potuisset pro consequendis distributionibus. Lott. *nu. 144.* satis tamen fuisset, si obtulisset se ad tale quid faciendum, ubi ad illud per Capitulum non fuisset admittus; habetur enim eo casu id pro facto. Lott. *ibid.* n. 145. Porro in genere, quòd ii, qui legitime absentes à choro, percipiunt distributiones ordinarias, non lucrentur tamen distributiones, quas amittunt illegitimè absentes, sed eas solis præsentibus accrescere, tanquam probabilius censet Pirh. n. 101. ex Castrop. *loc. cit. d. 3. p. 8. n. 8.*

Quaestio 413. Num supradicti absentes citra similes causas à choro, & divinis lucrentur ad minimum fructus suorum beneficiorum, dum de cetero commorantur in loco beneficii?

Respondeo: tales adhuc haberi pro residentibus, (quod longè aliud est, quàm habere pro præsentibus in Ecclesia & choro) & percipere præcisè fructus sui beneficii, etiam si culpabiliter absint plerumque à divinis. Pirh. *loc. cit. n. 82.* citans Laym. l. 4. tr. 2. c. 6. n. 1. ubi etiam addat, Canonicum, qui juravit residentiam, non censeri perjurum, etsi frequenter divina officia negligat, modò interdum se listat in Ecclesia & Capitulo, eò quòd tunc residentia non omnino careat sine suo. quod idem videtur dicendum de lucrato fructus, nimirum necessarium ad hoc esse, ut statutis ad hoc diebus secundùm consuetudinem Ecclesiæ intersit choro aut certis horis.

Quaestio 414. Num consuetudine induci possit, ut supradicti citra memoratas causas similesve à choro absentes, & divinis officiis, lucrentur nihilominus distributiones, modò sint in civitate, in qua est Ecclesia beneficii?

1. **R**espondeo negativè. Talem enim consuetudinem reprobat Bonifac. VIII. *cit. c. unico. de*

cler. non resid. in 6. quam constitutionem innovat & in usum revocat Trident. *sess. 24. c. 12.* non obstantibus quibuscunque statutis, aut consuetudinibus. Pirh. *num. 81.* Estque talis consuetudo directè contra institutionem distributionum quotidianarum, vi cujus hæc tanquam quotidianum, & diurnum stipendium dari solum debent iis, qui divinis officiis intersunt, ut nimirum tantò libentius, & studiosius hisce officiis intersint, si præsentem remunerationem accipiant. Pirh. n. 79.

2. Hinc jam consuetudine nequit induci. Primò, ut habens duos Canonicatus in diversis Ecclesiis in utraque recipiat distributiones, dum in una solum interesse potest divinis ejus officiis. Pirh. n. 83. citans Barb.

3. Secundò, qui unà hebdomadà intersunt divinis officiis, lucrentur per hoc etiam distributiones sequentis hebdomadæ, etsi tunc officiis non intersint. Pirh. *ibid.* citans Azor. d. c. 7. q. 5. & Barb.

4. Tertiò, ut Canonico mortuo distributiones anni proximè sequentis dentur ejus hæredibus, etsi valeat consuetudo, ut fructus præbendæ primi anni expendantur in usum defuncti. Pirh. *ibid.* Azor. q. 2.

5. Quartò, ut lucrentur distributiones, qui ad breve tempus absunt à divinis officiis v. g. dictis tribus mensibus à Concilio datis, animi relaxandi gratiâ, vel etiam ex aliis causis, maxime in jure non expressis. Azor. *loc. cit. q. 6.* Garc. *suprà num. 395.* Pirh. n. 83. qui tamen n. 84. ait, non deesse plures DD. qui universim dicant, validam esse consuetudinem vel statutum, ut Canonici quotidianas distributiones percipiant, cum legitime ob causam in jure expressam absint. v. g. causâ recreationis duobus illis vel tribus mensibus, eamque sententiam etiam post decretum Trident. *sess. 21. c. 3.* censet Laym. probabilem *loc. cit. c. 7. num. 3.* saltem, ubi tertia pars proventuum conversa est in distributiones; eò quòd nimis grave accideret Canonicis, si etiam ob legitimam causam absentes cogerentur carere magnâ parte fructuum, aut reddituum; cum res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non debeat juxta c. 2. *de constit.* Quin & probabile dicit Pirh. *ibid.* valere consuetudinem, ut beneficiatus rediens ex via per duos vel tres dies distributiones lucrentur, etsi ad divina officia non accedat; eò quòd post laborem sit aliquantisper acquiescendum, & *cit. c. unico. de cler. non resid.* damnetur solum consuetudo, ut absentes continuatè lucrentur distributiones, adeòque ad plures dies, non autem ad paucos dies; citatque pro hoc Jo. Monach. *in cit. c. unico.* Idem dicit teneri à Castrop. *loc. cit. p. 9. §. 12. nu. 16.* de profecturo; ita ut ei concedantur duo vel tres dies pro præparatione ad iter, quibus pro præsentibus habeatur in choro, etiam ad lucrandas distributiones. Eandem sententiam, ait probari ab Azor. *cit. q. 5.* si Canonicus ob negotia Ecclesiæ absens redeat secus si ob res suas, & commoda privata abfuerit.

6. Quintò, ut qui nocte matutino intersunt lucrentur distributiones, quæ dari solent iis, qui reliquis horis divinis intersunt. Pirh. *cit. n. 83.* Azor. *cit. q. 6.*

Quaestio 415. An igitur saltem, & quando valeat consuetudo & statutum Capituli circa quotidianas distributiones certo modo dividendas inter Canonicos?

Respondeo: valere, modò non sit contra dispositionem *cit. c. unico.* & Trident. Pirh. n. 84. & *cit. ab eo*